

tangebant, Cicerone in topicis testante; hodieque pœnitentiarii Romæ ejusmodi virgas tenent, et pœnitentium capitibus imponunt, ut significant se eos a servitute peccati in libertatem filiorum Dei asserere; quo obtento superest, ut exacto pœnitentiæ labore, videamus salutare Dei in cœlo.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Messiam venisse jam probatur. — II. Prædicatores mitti debeat. — III. Vox sit unusquisque. — IV. Christianis austere vivendum. — V. Solitudo amanda. — VI. Paranda via Domini.

THEMA.

Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.
Luc. III.

Historia Tobia cap. XI. describit filium Tobia e Rages Medorum in paternam domum magno desiderio a parentibus expectatum: rediit ergo tandem filius, sed antequam veniret in domum patris, præcurrit canis ipsius, *Qui simul fuerat in via*, inquit textus, *et quasi nuntius adveniens blandimento suæ caudæ gaudebat. Et consurgens cæcus pater ejus, cepit offendens pedibus currere et data manu pueri occurrit obviam filio suo.* Quid sibi vult hæc historia, auditores? Et cur in primis canem Tobia præcursorem tam affabre describit? Mihi certe videtur per allegoriam depingere adventum Christi. Quis enim junior Tobias in paternam domum rediens, nisi Dei Filius, qui in propria venit, cum in terram venit? Quis vero ejus canis, ipsum præcurrens et parentibus annuntians, nisi præcursor Christi, Joannes, qui semestri uno Christum præcedens, eum synagogæ velut paternæ Christi domui annuntiavit et prædicavit, (notum enim est in Scriptura per canes significari concionatores) adhibitis partim minis, partim blanditiis ultimæ retributionis, partim vocibus et latratibus severæ reprehensionis? Excitata igitur Joannis nuntio synagoga occurrit filio suo Christo, utpote e synagoga prognato. Verum cæci instar offendens, dum Joannem pro Christo amplecti vero videtur. Christum vero in medio sui constitutum ne que agnoscit, ut vidimus in Evangelio ante octiduum, quia puero ducebatur: Phariseis scilicet, qui legationem non ad Christum, sed ad Joannem instituerunt, interrogantes: Num ipse esset Christus? Quoniam igitur in hodierno Evangelio, necdum desinit latrare canis iste, sed eandem vocem repetit: *Vox clamantis in deserto*, audiamus quid nobis nuntiet.

I. Nuntiat venisse jam Messiam orbi protissum. Quod præterea ostendi potest; primo ex prædicatione Jacob, Gen. XLIX. *Non auferat*

ur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, etc. Atqui in hodierno Evangelio audimus tempore Joannis et Christi ablatum fuisse sceptrum a Juda; siquidem Judæa suberat imperatori Romano Tiberio, et procurabatur a Pontio Pilato præside gentili. Erat quidem adhuc eo tempore Judæorum rex Herodes, sub quo passus est Christus: verum is non regnabat in Judæa, sed in Galilæa tantum, ut in hodierno Evangelio habetur. Illius vero Herodis pater, sub quo natus Christus, alienigena erat ab Augusto imperatore elatus ad regnum, dejecto Aristobulo legitimo hærede. Atque ita, Christo nato, jam ademptum erat sceptrum Judæis, dum in alienigenam translatum. Christo patiente nullus omnino rex erat, præter imperatorem Romanum.

Secundo ex miraculis Christi, quæ facienda ab eo prædixit Isaias, cap. XXXV. dicens: *Tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt. Tunc saturetur sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*: quæ facta se esse ostendit Christus cum dixit: *Renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, etc.* Matt. XI. His permoti crediderunt in eum, et dicebant: *Christus enim venit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Joan. VII.

Tertio ex secundi templi ruina et eversione; promisit enim Deus Malachia III. et Aggæi II. venturum Messiam ad templum secundum, seu secundo extractum, idque sua præsentia adeo coonestaturum, ut ejus gloria major inde futura sit, quam prioris. Porro templum illud jam destructum est una cum urbe sub Tito imperatore ergo Messias ingredi jamjam illud potest, cum non sit amplius in rerum natura? Atqui in id, cum adhuc exstaret, venit Christus, et a Simeone exceptus est.

Quarto ex ruina et oppressione idololatriæ, per adventum Messia delendam prædixere propheta, Ezechiel c. XXX. Michæas c. I. Zacharias c. XIII. Constat autem per Evangelium Christi contrita esse idola, eaque passim muta reddita, tandemque a suis cultoribus undique abjecta, ut testantur ipsi gentiles, Putarchus in I. cur oracula desierint, Porphyrius, etc. Exterminata eadem idola sæculo præterito, et exterminantur hodieque in regionibus non ita pridem inventis. Quæ ipsa mutatio idololatriæ in sanctissimam religionem, et veri Dei cultum, ex ipsa ratione ostenditur esse mutatio dexteræ Excelsi, adeoque Messia; sicut mutatio tenebrarum in lucem ostendit ortum esse solem.

Quinto ex Judæorum et patria exterminio e diutissimo exilio. Sæpius enim Judæi a Deo

propter peccata sua plexi sunt exilio et servitute, in Ægypto per annos 400. in Babylone per 70. annos, etc. nunc vero post excidium Jerosolymæ durat eorum exilium per 1700. annos. Quæ vero causa esse debet, cur Deus populum suum electum paterna hæreditate et solo, omnibusque sacris tamdiu spoliavi? Utique gravissimum illud peccatum quod in Messiam admiserunt.

Sexto ex regni Christi amplitudine et stabilitate. Prædictum enim a prophetis passim regnum Messia fore amplissimum a mari usque ad mare et ad terminos orbis protendendum, fore præterea perpetuum, etc. At nullum aliud tale monstrari potest, præter Ecclesiam Christi. Et quomodo regnum Christi tam amplum et stabile esse posset, super omnia alia, quæ unquam fuerunt regna, nisi ipse verus Messias esset? Accedit hujus regni sanctitas, miraque propagatio per duodecim apostolos rudes et inermes, per martyria, etc.

Septimo ex prophetarum oraculis aliis, veluti Danielis, qui post septuaginta hebdomadas (annorum intellige, non dierum, ut omnes sentiant) prædixit ungendum esse Sanctum sanctorum, Dan. IX, quæ faciunt annos 490. sine dubio jamdudum completos. Accedunt testimonia Sibyllarum et quorundam Judæorum; veluti imprimis Josephi celeberrimi scriptoris, in excidio urbis capti et Romam ducti, qui libro XVIII. antiq. cap. IV. sic de Christo scribit: «Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen eum virum fas est dicere; erat enim mirabilium operum patrorum et doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt; plurimosque tam ex Judæis, quam de gentibus sectatores habuit: Christus, id est, Messias hic erat, quem accusatum a nostræ gentis principibus Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant: apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hæc et alia multa miranda prædixerint.» Sic Josephus. Quibus omnibus miraculum adscribam, quod episcopus Burgensis in Hispania evenisse testatur, II. p. scrutinii, dist. VI. capite X. Duo ex Judæis prophetarum loco habiti, redemptionis signum, anno a Christo nato 1295. fore conspiciendum, cæteris prædixerunt, in spem conspiciendi signi adducti, jejuniis, eleemosynis, atque orationibus ante parati, albis ex more vestibus e lino vel serico amicti, synagogas ingressi sunt. Misericors vero Deus, antiquæ erga hunc populum misericordiæ recordatus, quod sperabant, redemptionis verissimum signum ostendit. Albis omnium vestibus admirandum crucis signum impressit, ex quo verum Messiam jam venisse

crucique suffixum esse, facile si vellent, possent intelligere. Quam verum autem sit miraculum his verbis Burgensis testatur: «Ego, inquit, testificor coram Deo, qui hoc signum contigisse sæpissime audivi, ab antiquioribus Judæis nemine contradicente in ipso facto, nisi solum in causa facti, quia quidam eorum hoc attribuebant magicis artibus.» Hæc Paulus Burgensis episcopus, qui ut ex Judaismo Christo nomen dedit, ita Judæorum res egregie perspectas habuit.

II. Nuntiat nullum prophetam, aut religionis reformatorem recipiendum, nisi suæ missionis sufficientia edat testimonia. Etenim Joannes noster, præterquam quod a S. Luca ostenditur hic non usurpasse sibi prædicandi officium, sed a Deo accepisse, exhibet etiam hujus rei testimonium partim ex Isaia vaticinio, qui de ipso prophetavit, cap. XL. *Vox clamantis in deserto, etc.* (quis autem alius prædicare in deserto visus est?) partim ex vitæ austeritate et sanctitate ab ipsomet Christo commendata. Dum ergo ex Isaia probat Joannes suam missionem Phariseis ad se missis, indicat non audiendos illos prædicatores, qui suæ missionis rationem legitimam edere nequeunt, quales sunt omnes hæresum præcones: qui proinde ne mirentur, si eorum ministeria et commenta ab Ecclesia reprobentur et damnentur. Quod enim Pharisei fecerunt, dum a Joanne rationem petierunt novæ suæ cæremonia baptismatis, hoc etiam jure merito facit Ecclesia, cum in religionis novitates et novatores sedulo inquirat.

III. Nuntiat doctores et rectores imprimis, deinde Christianos omnes voces esse debere, ita ut quod docent, imperant, profitentur, factis et exemplo suo demonstrent. Hæc enim de causa Joannes vocem se appellavit, quia non solum vocem docentis addidit, sed ipse totus vox fuit. Clamavit enim ore, clamavit victu, clamavit vestitu, clamavit domo et lecto degens in solitudine. Concionatores tubæ sunt, unde illis dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam*, Isa. LVIII. Tuba autem dum ore inflatur, manu fortiter retinetur. Manus ergo ori, facta voci jungi debent, ne alioquin dicatur id Gen. XXVII. *Vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Vox lenis, manus asperæ: vox agnina, manus hædinæ et hirsutæ. Quid hæc de re S. Bernardus? «Monstruosa res est, inquit, I. II. de considerat. ad Eugenium papam, sedes prima et vita ima; lingua magniloqua et manus otiosa.» Quid S. Prosper? «Bene docere et male vivere, inquit, quid aliud est, quam se sua voce damnare.» Quid Nicolaus V. papa? «Doctrina sine bona vita est venenum, aiebat, cum bona vita autem est remedium ad omnia.» Quid abbas Pas-

tor? « Si quis, inquit, docet aliquid et non facit quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes satiat et sordes delet, seipsum autem purgare non potest, sed omnis spurcitia et immunditia in eo est. »

IV. Nuntiat regnum cœlorum vim pati; siquidem ex eremo quasi e rigidissimo monasterio concionatur Joannes, non utique id, quod Epicurei dicunt: « Edamus et bibamus, cras enim moriemur »; sed potius quod Dominus dixit: *Contendite intrare per angustam portam*. Hoc enim clamat solitudo, victus et vestitus Joannis, quam ob causam etiam videtur dixisse Dominus: *A diebus Joannis Baptiste usque nunc regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud*, Matt. XI. quia scilicet sua prædicatione effecit et permovit suos auditores, ut regno cœlorum vim inferrent et violenter illud raperent per opera et fructus pœnitentiæ; ut explicat S. Gregor. hom. XX. in Evang. Hoc enim Judæis perpetuo inculcavit non verbo tantum, sed et multo magis exemplo suo: *Geminina viperarum*, dicebat, *facile fructus dignos pœnitentiæ, etc.* Effecitque ut turbæ, publicani, milites ad ipsum venirent, monita salutis acciperent, baptizarentur et peccata sua confi terentur. Fingunt quidem hæretici nostri (Centuriatores Magdeburgenses, l. I. c. XVIII. alique) ne quaquam ita austere, uti sonant verba, vixi sse nostrum Joannem: sed pro solitudine assignant ei domum paternam loco solitario positam: vestem e pilis camelorum aiunt fuisse vestem undulatam, camelot: locustas vero caneros marinos vel aviculas silvestres. Hæc nimirum ipsorum gustui ardent: verum impostores istos quis non deprehendit? Nonne Dominus de Joanne dixit: *Veni Joannes neque manducans neque bibens*; hoc est, adeo vili et modico victu degens, ut nullo, dicere possis. Jejunium igitur et austeram vivendi rationem instituit et prædicat Joannes, ut ad sui imitationem invitet Christianos, qui non carne sed spiritu robusti esse debent. Constat autem animam exarescere quando impingatur et fovetur caro: contra etiam arescente carne impinguari spiritum. Quod enim Judicum VI. ivisum est in vellere Gedeonis, id cernitur et in anima. Cum cecidit ros in vellus, tunc area circumjacens sicca fuit: cum cecidit ros in aream, vellus siccum et aridum remansit. Cum arida est nostræ carnis terra, vellus animæ madidum est et cœlesti rore perfunditur, cum vero caro madet, sterilis est anima. Ergo Christianorum est vivere austere et carnem edomare. Audiamus S. Basilium, Reg. XVII. « Uti, inquit, optimus corporis habitus et coloris bonitas pugilem a cæteris distinguit; sic Christia-

num a cæteris discernit macilentia corporis pallorque deflorescens, etc. »

V. Clamat fugiendos sæculi tumultus, et quantum fieri potest, solitudinem amandam. Ubi enim putatis factum est verbum Domini ad Joannem? Numquid in domo paterna? Numquid in aula Herodis? Numquid in foro aut frequentia hominum? Mi nime: *sed factum est verbum Domini super Joannem in deserto*. Ut enim suavissimæ citharæ concentum audias, populi strepitum fugias necesse est: ita cum Deo suaviter locuturus, ejusque inspirationes percepturus, tumultus hominum et negotiorum sæcularium vitare debes. Ita Moyses, postquam ad interiora deserti minavit gregem suum, audiit loquentem sibi Deum e rubo, Exod. III. Ita piissimus et theodidactus ille Thomas de Kempis, quoties in monasterio suo inter fratres occupatus, sensit inspirationem divinam, qua velut sponsa evocaretur ad cœlestem sponsum, mox actio nem vel colloquium abrumpens, valedicebat fratribus et in cellam secedens aiebat: « Charissimi fratres, oportet me secedere: est enim qui in cella me expectat. » Ibi mox instar Samuelis Deo dicebat: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*, ut in ejus vita. Idem etiam in libello suo de imit. Christi, l. I. c. X. scribit: « Quoties inter homines fui, minor homo redii. » Non dissonat ab eo, quod dicebat S. Antonius ad imperatorem Constantinum evocatus ex eremo, ire tamen renuens: « Si ad imperatorem venero, Antonius ero; sin minus, abbas Antonius. » Hanc denique solitudinem animæ commendaturus Deus ait per Oseam, cap. II. *Ducam eum in solitudinem et loquar ad cor ejus*, q. d. suaviter, efficaciter, conso latorie, etc. Quando ergo nos cum monachis in stabili illa solitudine versari nequaquam possumus, curemus saltem, ut, instante sacro aliquo tempore devote peragendo, vel, cum inspiratione divina evocamur ad quietem animæ, recipiamus nos in solitudinem aliquam, si non loci ab hominibus remoti, saltem cordis nostri vel templi, ubi in silentio audiamus, quæ salutis nostræ expediunt, incipiamus ab hoc die præparare nos in occursum Christi, etc.

VI. Clamat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. In libro Genesis, c. XLI. memoriæ proditum est Josephum regis insignibus a Pharaone decoratum, currui ejus impositum, clamante præcone, ut omnes coram eo genua flecterent (Heb. *abrech*, id est, flecte genua) et præpositum esse scirent universæ terræ Egypti. Josephum Christi typum fuisse scimus. Sed quis ille præco currum ejus præcedens? Non alius nisi Joannes, Domini præcursor, qui eum universo mundo annuntians, monuit ut omnes

coram eo genua flecterent, Dominumque suum agnoscerent. Hoc enim est, quod ait: *Parate viam Domini*. Quomodo vero paranda sit, mox subjungit: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, est aspera in vias planas: et videbit omnis caro salutare Dei*. Nos ergo, qui Christum nostrum in festo ejus natalitio venturum ad nos præstolamur, paremus ei viam et tollamus hæc impedimenta. Primo vallem, id est, inanem trepidationem et pusillanimitatem, quæ non paucos retinet ne ad pœnitentiam et sanctam communionem se disponant. Secundo superbiam et præsumptionem, quæ est instar montis: proinde deprimenda et complananda. Cogitandum quam se Christus depresserit, cum e cœlo in terram descendit et infantili in corpusculo ad præsepe se inclinavit: quamque humili specie descendat ad nos etiamnum in S. Eucharistia. Tertio pravitatem injustitiæ, quæ ita coæquanda, ut injuriæ remittantur; ablata, cui debentur, restituantur, etc. Quarto, morum asperitatem et insolentiam, quæ ita corrigenda, ut offeras nostras passiones perdomemus, et agni quidem e lupis evadamus, etc.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur mentio imperii Romani? — II. Quinam tetrarchæ. — III. Quomodo duo simul Pontifices? — IV. Baptismus Joannis, cur baptismus pœnitentiæ? — V. Quæ concio Joannis? — VI. Cur Joanni commendatum munus prædicandi? — VII. Cur Joannes circa Jordanem? — VIII. Cur præcursor Christo præmissus? IX. Prophetia Joannis quomodo impleta?

THEMA.

Anno decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, etc. Luc. XIII.

In hodierno evangelio incipit Joannes prædicare viam Domini: postquam scilicet ultra 20. annos in solitudine meditatus est, quod diceret. Magna ergo et seria esse debent, quæ proinde nos veluti primam Joannis concionem diuturno studio elaboratam avide audiemus: maxime quia parat viam venturo ad nos Domino in feriis natalitiis.

I. Cur meminit Lucas imperii Tiberii in hoc evangelio? Resp. primo quia cum incipiebat prædicare Joannes, nullus filiorum Herodis regnabat in Judæa, quæ tunc misso Viennam Galliæ Archelao Herodis filio, qui Judæam mediam paterni regni partem acceperat ab Augusto, in exilium, redacta erat in provinciam a Romanis, suberatque Romano imperatori

Tiberio, et procurabatur ab ejus præside Pilato. Meminit ergo Lucas regis gentilis et plurium gubernatorum apud Judæos, ut indicaret adesse tempus adventus Messie prædictum, primo quidem Gen. XLIX. *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium*. Tametsi jam ante sub Augusto Imp. sub quo natus est Christus, sceptrum hoc a Juda ablatum fuit, cum Augustus regnum Judæorum Aristobulo legitimo hæredi ademit et transtulit in alienigenam, Herodem scilicet Ascalonitam, quem Judæa regem fecit contra Judæorum voluntatem. Secundo, Dan. II. ubi ponitur adventus Messie in quarta monarchia, Romanorum scilicet. Nam prima erat Assyriorum, secunda Persarum, tertia Græcorum, quarta Romanorum, quæ cœpit in Julio Casare et Augusto. Tertio, Dan. IX. et X. ubi prædictus est Messias venturus completis septuaginta hebdomadibus (annorum scilicet, hoc est, post annos 490. cum ergo Romani tunc dominarentur in Judæa et sceptrum Juda ablatum esset, et LXX. hebdomadæ completæ, inde voluit Lucas monere tempus Messie advenisse.

Secundo. « Quia illum prædicare veniebat (Joannes) ait S. Greg. hom. XX. in evang. qui et ex Judæa quosdam et multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium et principes Judæorum prædicationis ejus (Christi) tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, et Judæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit, quoniam et in Rom. rep. unus præfuisse describitur, et in Judæa regno per quartam partem plurimi principabantur. » Hæc Greg.

II. Qui sunt isti tetrarchæ? Resp. Herodi primo, qui occiderat innocentes, quique, ut diximus, ab Augusto imperatore regnum Judææ accepit, defuncto tres fuisse filios supersites, Archelau, Herodem dictum Antipam, et Philippum. His Augustus Cæsar paternum divisit regnum, et mediam regni paterni partem, quæ Judæam complectebatur, Archelao dedit, tamen absque regis titulo; cujus hic non meminit Lucas, quia jam antea ob immodica imperia ad Cæsarem delatus, amotus et Viennam relegatus in exilium erat, ipsaque Judæa in provinciam redacta, ut diximus. Reliquam regni medietatem iterum divisit Augustus in duas partes, et unam, Galiliæam videlicet, dedit Herodi Antipæ: Philippo autem fratri ejus Ituræam et Trachonitidem regionem. Hi ergo duo tetrarchæ vocantur, quia quilibet quartæ parti regni paterni imperabat. Lysanias, Abylinæ tetrarcha quis fuerit, incertum est, nominatur